



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem  
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita  
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi  
Concionatoribus vsui esse poßit

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, M.DC.XVI.**

3. Quæ sunt futura signa in cœlis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)



expositionem illam non esse necessariam. Multi Patres non intelligunt per mulierem illam fornicariam Urbem: sed orbem, quatenus in eo edificata est ciuitas impiorum, quæ in Scriptura Babylon dici solet, & fundata est super septem montes, id est, super multitudinem Regum superborum. Ita exponit Aug. Psalm. 29. enarrat. 3. vbi ciuitatem quident Babyloniam, ita interpretatur non tamen aperte accommodat ad locum Apocalyp. Idem habet in Enarrat. in Psalm. 61. & lib. 14. de Ciuitate, cap. ultimo, & lib. 18. cap. 18. & sæpe alijs in locis. Expressius Prosper in dimidio temporis, capite 7. Nec eam vno in loco existimes ciuitatem, quæ tota est sparsa in orbe, de qua dicit & Propheta David. Filia Babylonis misera. Ac deinde eodem modo interpretatur totum cap. 18. Apoc. Idem tenent Beda, Ambrosius, Ticonius, Primasius, D. Thom. Aymo, Rupert, & alij Apoca. 17. vbi Gagneius breuiter, & aptè totum illum contextum ad hanc interpretationem accommodat, quam hoc loco latius persequi instituti nostri non est.

Ex quibus tandem ultimo constat, hoc signum euerisionis Romani imperij (qualecunque illud sit, & quomodo, quæ iuxta prædicta explicetur) simul cum præcedenti paulatim impleri: verisimile tamē esse (vt in sectione præcedenti diximus) prius esse vniuersalem Euangelij prædicationem consummandam, quam Romanum imperium ad summam inclinationem, extinctionemque perueniat. Quia hæc duratio imperij Romani in sua dignitate, & potestate valde necessaria est, vt illud signum Euangelicæ prædicationis per totum orbem commodè impleat. Hoc vero impleto, credibile est Ecclesiam passuram maiores temporales afflictiones bellorum, ac seditionum, regnorumque mutationes, atque ita paulatim extinctum iri imperium Romanum, vel ab Antichristo, vel paulo ante eius aduentum. Ad rationes dubitandi in principio positas facilis est responsio ex dictis. Ad summum enim probant (quod nos concessimus) incertum esse, an sit extinguendum omnino Romanum imperium per Antichristum, vel antea. In loco autem illo Apoc. 17. cum dicuntur decem Reges accepturi potestatem post Antichristum, vel non est intelligendum de ordine temporis, sed dignitatis, (erunt enim sub Antichristo) vel intelligendum est, quod post Antichristi aduentum accipiant nouam potestatem ad persequendam Ecclesiam.

## SECTIO III.

*Quæ sint futura signa in cælis ante iudicii diem.*

Hactenus explicauimus, quæ ante aduentum Domini vsque ad Antichristi necem euentura credimus, eritque facile lectori ex ijs, quæ duabus sectionibus præcedentibus, & supra de Antichristo dicta sunt, rerum ordinem seriemque colligere. Prædicabitur enim Euangelium in vniuerso orbe, & iterum non deerunt calamitates illæ, quæ Matt. 24. prædicuntur, pestes, fames, terremotus, prælia, regnorum diuisiones, ac mutationes, & similia ac fortasse postquam vniuersalis Euangelij prædicatione consummata sit, ingravescent hæc quotidie magis, magisque quasi inclinante iam mundo, & proxime ad occiduum urgente, & tunc tandem vel omnino vel pene destructo Romano imperio, veniet Antichristus, qui vniuersale orbis imperium occupabit, & grauissime persequetur Ecclesiam. Quæ omnia eleganter describit Lactantius. li. 7. c. 17. Pro Ecclesia vero Elias, & Enoch dimicabunt, donec ab Antichristo trucidentur: qui tamen & ipse impetio Christi interficietur, neque de hoc tempore alia sunt nobis signa reuelata.

Sequitur ergo, vt dicamus de signis futuris post mortem Antichristi, in quibus primum locum tenere videntur ea, quæ in cælis futura sunt. Sic enim

Fr. Suarez. tom. 2.

A de illis loquitur Christus. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stelle cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. In quibus verbis, nulla est inter expositores controuersia, quin sermo sit de signis iudicii, quauis de superiori parte illius capitis magna sit, atque ita exponunt ibi Chrysostomus, Theodorus, Euthymius, Hieronymus, Hilarius, can. 25. & 26. & Aug. Epi. 80. ad Hefychium, sub finem. Dantur autem à Christo Domino in eis verbis tria cælestia signa, quæ à nobis explicanda sunt. Primum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. Secundum, Stelle cadent de cælo. Tertium, Virtutes cælorum commouebuntur.

Prius tamen, quam ad hæc explicanda veniamus, oportet inquirere, quo tempore intelligantur futura hæc signa, an scilicet ante vniuersalem mortem hominum, & generalem resurrectionem, an vero post illam. Hieronymus enim Chrysostomus, & Eusebius, Emilianus, statim citandi indicant futura post resurrectionem generalem in ipso aduentu Domini. Quæ sententia videtur textui Evangelico consentanea. Nam immediate post illa verba subdit Christus. Et tunc parebit signum filii hominis in cælo, sed hoc signum non apparebit nisi post resurrectionem ipso Domino iam veniente, vt infra videbimus: ergo neque alia: simul enim & in eodem contextu omnia prædicuntur, & immediate post illa subiungitur, Et tunc plangent omnes tribus terra, id est, reprobi omnes, qui in terra manebunt. Nam iusti tunc iam rapiuntur cum Christo in aera. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli: ergo rectè intelligitur, totum hoc futurum post resurrectionem in ipso aduentu Christi. At verò D. Augustinus in dicta Epistola. 80. ad Hefychium sentit, hæc signa futura esse in Ecclesia, durante ipsa Antichristi persecutione. Vnde consequenter interpretatur, verba illa Christi, post tribulationem dierum illorum, non intelligi post finitam persecutionem, sed post inchoatam, seu durante, & iam ex parte facta persecutione. Fuit autem hæc sententia Lactantius. lib. 7. cap. 16. vbi licet intelligat hæc omnia proprie, & de sensibilibus signis, ea sentit esse futura ante mortem Antichristi, quod tamen nullaratione confirmat. Augustus vero coactus est sic exponere, quia non intellexit illa signa ad literam, vt sonant, sed metaphoricè, vt postea videbimus. Cuius sententia, sicut in hoc nobis non probatur, ita neque in priori parte sustineri posse videtur. Nam Christus Dominus satis apertè loquutus est de tempore post finitam tribulationem Antichristi, vt reliqui omnes expositores, & Patres ea intellexerunt: & supponendo ea signa proprie, & ad literam esse intelligenda, nullum est fundamentum ad opinandum aliter. Quæ durante persecutione Antichristi, & vsque ad mortem, & resurrectionem Eliæ, & Henoch, nondum erunt inchoata signa iudicii, quæ peccatores vehementer terreat, vt ex. 11. cap. Apoca. colligitur: sed potius, Cum dixerint pax, & securitas, tunc eis repentinus veniet interitus. Ergo ante mortem Antichristi non incipient videri signa in Sole, Luna, & stellis, neque arefcent homines præ timore, vt dicitur Luc. 21. Ex quo loco etiam colligitur, hæc signa futura esse, videntibus adhuc hominibus in carne mortali ante generalem resurrectionem. Nam ex ijs verbis Lucæ constat, hæc signa futura esse hominibus causam angustiarum & anxietatis præ timore & expectatione eorum, quæ superueniens vniuerso orbi: ergo oportet vt fiant videntibus adhuc hominibus ante generalem resurrectionem. Nam post resurrectionem nulla erūt necessaria signa ad terrendum, neque habebit locum dubia expectatio futurorum. Nec refert, quod apud Matthæum hæc signa simul cum alijs coniungantur, quia non oportet, vt quæ simul narrantur simul etiam fiant. Præsertim cum prius Matthæi dicat, venturum Christum cum virtute, & maiestate, & postea subiungat, & mittet Angelos suos in tuba, &c.

Kkk 3

cum



cum tamen hoc non sit futurum post aduentum Christi, sed antea: ex ordine ergo narrationis non potest colligi ordo executionis, sed ex alijs locis, & ex coniectura sumpta ex ipsis rebus colligendus est. Vnde confirmari hæc sententia potest ex Ioele c. 2. Et dabo prodigia in celo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem sumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Vbi (iuxta communioem expositionem Theodor. & Rupert. ibi, Orig. & D. Thom. Matth. 34. Bedæ Marc. 13. & Luc. 21.) sermo est de die iudicii, & de eisdem celestibus signis, de quibus loquutus est Christus: & tamen illa dicuntur futura: antequam veniat dies ipse iudicii, qui dies Domini magnus & horribilis dicitur. Vnde ipsēmet Christus post prædicta verba subiunxit, Cum videritis hæc fieri scitote, quoniam prope est in tantum: ergo futura illa sunt ante aduentum Christi: eo tamen appropinquante. Neque enim verisimile est (quod Aug. ait) in verbis illis Christi, cum videritis hæc fieri, non tantum signa, sed ipsum etiam aduentum Christi in nubibus coeli comprehendendum esse. Quorsum enim Christus diceret: cum me videritis venientem, scitote, quoniam prope sum? Non ergo loquitur de aduentu: sed de signis, quæ aduentum antecessura sunt.

Ioele 2.

Theodor.  
Ruper.  
Origen.  
D. Thom.  
Beda.

Augustin.

Obiectio.  
August.  
1. Thessal. 3.

Ambros.

Theophyl.

August.

Responsio.  
Occumen.

Anselm.

Obiectio.

Responsio.

Ambros.

Sed obiicit August. quia dies iudicii (vt Paul. ait 1. ad Thess. 3.) sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus: si autem præcessura essent hæc signa, quæ homines redderēt certos, diem Domini iam esse in ianuam, non ingrueret vt fur, illis in pace, & tranquillitate existentibus. Atque ita Ambros. 1. ad Thess. 5. exponens prædicta verba, Subito (inquit) & ex insperato apparebit, & Theod. Matth. 25. ita exponit illud Media nocte clamor factus. Vt ostendat (inquit) quod inexpectatus veniat Dominus. Quod etiam notavit August. tractans eadem verba, dicens, Media nocte, id est, nullo scientie aut sperante, & infra exponens verba Pauli, inquit. Ex quo significatur, cum penitus latere, cum venerit. Ad hanc objectionem responderi potest ex Occumen. 1. ad Thessal. 2. ex signis iudicii posse colligi appropinquare finem mundi: non tamen fore certam diem, & horam aduentus Domini, & hac ratione verum esse diem illum veterum vt furem. Quod declarat exemplo mulieris pregnantis, quo Paulus vtitur. Nam licet hæc (inquit) signa partus habeat multa, ipse autem hora aut dies non tem. Quod sit obijcias, quia supra diximus quadraginta quinque diebus post mortem Antichristi futurum aduentum Domini: Responderi potest vel cum Anselm. 2. ad Thess. 2. dicente, Vtrum completis illis quadraginta quinque diebus mox adveniat Dominus, an vero aliquantulum supersit temporis, omnino nescimus. Vel certe dici posset, hoc secretum scripturarum, & esse satis dubium, & si verum est, paucis fore notum, & ideo nihil ob stare, quo minus, vel omnibus, vel ferè omnibus incertus sit ille dies. Vel aliter, quod cum omnes homines sint morituri ante diē aduentus, quanvis omnibus constaret, esse morituros intra illos quadraginta quinque dies, tamen & singulis esset incertum, quo die morituri sint, & quanto etiam tempore post mortem vel singulorum, vel omnium sit futurus iudicii dies, & ita semper erit aliqua incertitudo illius diei, ac temporis certi, & definiti, licet constare eis possit nō longe abesse. Quod nullum est inconueniens, quia Christus hoc voluit, & in hunc finem signa præbuit.

**A**gna stupenda, quæ erunt veluti proximi nuntij aduentus iam Christi, & proprie incipient ab interitu Antichristi. Tunc etiam subito incipiet repentinus interitus peccatorum, de quo Paul. loquitur, & Apoc. 17. narratur à Iohanne Apocal. 11. Et ad hunc etiam interitum pertinent illa signa, de quibus nunc agimus. Atque ita etiam respondet D. Thom. in 4. d. 48. q. 1. D. Thom. art. 4. q. 1. ad 1. & 2. & idem notavit Iam. c. 128. Concord. Et potest etiam explicari. Quia (vt sæpe dixi) ante ipsum diem iudicii morientur omnes: ergo ille dies præcise sumptus non potest aliter venire inopinatus, quam expositum est.

His ergo politis, secundo explicandum est in genere, qualia sint hæc signa, quomodo vè futura. In qua re prima sententia est Aug. dicta Epist. 80. qui hæc metaphoricè interpretatur per Solem & Lunā Ecclesiam intelligens, de qua dicitur, quod obscurabitur, & non dabit lumen suum, quia non apparebit, impijs persequentibus ultra modum scruentibus. Et stelle cadent, ac virtutes colorum commovebuntur. Quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent, & cadent quidam, fideles firmissimi turbabuntur. Et hanc expositionem elegit August. partim propter rationem paulo ante adductam de repentino aduentu Domini: partim, quia illa signa proprie, & sensibilibiter intelligantur non essent tam horrenda, & terribilia, sicut in scriptura exaggerantur. Vnde concludit, Hæc in Ecclesia melius ex mystico intelligi, ne Dominus Iesus appropinquante secundo aduentu suo, ea pro magno prædixisse videatur, quæ huic mundo, & ante primum eius aduentum consueverant evenire, & irideamur ab eis, qui hæc quæ velut nonissima, & omnia maxima horrefcimus, plura in historia gentium, & multo maiora legerunt. Potest autem hæc Aug. opinio confirmari. Quia ille modus loquendi sæpe est metaphoricus in Scriptura ad significandam acerbitatē alicuius tribulationis, vt Iai. 13. stelle celi, & splendor earum non expandent lumen suum, & tenebrabitur sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo. Vbi ad litteram est sermo de vltione sumenda de Babylonijs, & similia leguntur. Ezech. 32. vbi ad litteram sermo est cōtra Pharaonem regem Aegypti, & inter alia dicitur, Operiā, cum extinctus fuero, calor, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum: omnia luminaria celi marere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam: dixit Dominus Deus. In quibus locis, & similibus (qualia sunt Amos. 8. Sophon. 1. Ioele 2. & 3.) constat hæc non esse intelligenda proprie, sed metaphoricè ad exaggerandam acerbitatē tribulationis, præ cuius magnitudine ita perturbantur homines, vt videatur illis Sol obscurari, & omnia tam celestia, quam terrestria commoueri.

August.

Augustini  
pinto de celestibus signis secundum aduentum Domini.

Iai. 13.

Ezech. 32

Amos 8.  
Sophon. 1.  
Ioele 2. & 3.

Sed (quamvis hæc expositio Augusti, vt moralis: & spiritualis laudanda sit) nullo modo negandus est proprius, ac literalis sensus, quæ ceteri expositores præmittunt, vt adijciat mysticos sensus vt patet ex Hieron. Hilario, apertius ex Origen. tract. 30. in Matth. Beda, & Anselm. ibidem. Atque idem licet obscurissime significat Ambros. lib. 10. in Lucam, cap. 17. de signis aduentus Domini. Nam licet in toto capite iudicij sensus videatur fere eandem expositionem cum August. biliter sumit persequi: tamen literalem sensum, vt notum supponit. Idem significat illa verba, quæ in principio præmittit, & prophetia vera series, & integra causa mysticæ: & probatur, primo ex generali regula interpretandi scripturam. Nam cum potest proprie sine incommodo exponi, non est ad metaphoras confugiendum. Secundo quia Lucas capite 21. docet, hæc signa fore sensibilia, quibus visis homines arefcent præ timore, & expectatione finis: ergo non recte exponuntur de effectibus spiritualibus, qui ne videntur, nec magnum timorem incutere solent hominibus: præsertim vulgaribus, & qui spiritu non ducuntur. Vnde multo minus ex illis solis commove-

moue.



monerentur ad expectandum orbis interitum. Tercio quia ibi ponuntur signa futura in cælo, & in terra: & tamen de terra, & de signis in ea futuris sermo est proprius (vt sectio. sequenti dicemus) ergo antithesis ipsa docet, signa etiam cælestia proprie esse intelligenda.

*Responsio ad argumenta Aug.*  
Ad primum autem motuum Augustini iam responsum est. Ad secundum dicitur, licet hæc signa sint sensibilia, futura tamen maiora, & horribilia quam ynquam fuerint. Ad alia verò testimonia respondemus, primo à multis Sanctis exponi proprie, & de die iudicij, vt de priori loco Isaiæ videri potest in Chryf. Parenesi prior ad Theodor. lapsam, & hom. 84. in Matth. Orig. tract. 30. in Matth. & tom. 2. in ad Roman. Cyprian. epist. ad Demetrianum sub finem. Greg. 20. Moral. cap. 23. Et in vniversum de omnibus similibus locis Prophetarum id affirmat Tertul. lib. de resurrect. carnis ca. 22. Vbi tractans, & ad literam intelligens prædicta verba Christi, inquit, *Postquam eduxit, & tunc erit Ierusalem conculcataui nationibus, inde iam in orbem, & in seculum prædicat secundum Ioseph, & Daniele, & vnuersum concilium prophetarum, futura signa in Sole, Luna, & stellis.* Secundo dicitur, etiam si in illis locis sermo sit metaphoricus non inde inferri, etiam verba Christi esse metaphoricè exponenda. Quia circumstantia literæ neque id requirunt, neq; commode patiuntur. Quin potius addi potest, quia in die iudicij hæc horribilia signa vere ac proprie futura sunt, prophetas hoc prævidentes ad exaggerandas alias vindictas, & vltiones diuinæ iustitiæ, vfos esse allusione, & quasi comparatione quadam ad signa vici iudicij: vel è contrario, quia similes præcedentes vindictæ fuerunt quasi figuræ quædam, & vmbra generalis vindictæ de peccatoribus sumende in die iudicij, ideo prophetas vel facile ab vna ad aliam transiisse, vel acerbiter vnus per signa, quæ futura sunt in alia explanasse.

Constat igitur, hæc signa futura esse sensibilia in ipsis corporibus, seu astris cælestibus. Reliquum est, vt tertio loco explicemus, quomodo futura sint. Quod distinctius fiet si per singula paulatim discurremus. Primo igitur obscuritatem Solis, & Lunæ multi sic interpretantur, quod Christus adueniens tanto lumine fulgebit, ac totum orbem splendore faciet, vt nec Solem, nec Lunam apparere, aut lucere sinat. Ita Hilar. can. 29. Hieron. Chryf. & Beda in Matth. & Euseb. Emis. hom. in Dominicam 27. post Pentecosten & Aug. ser. 103. de temp. vbi hoc specialiter tribuit splendori crucis, qui tantus erit, vt Sol occulter: de quo postea dicemus. Tandem expositione approbat D. Tho. opus. 10. ar. 35. Sed nobis non probatur, propter ea, quæ in priori puncto dicta sunt. Ostendimus enim hæc signa futura esse aliquibus diebus ante descensum Christi è cælo: ergo non potest fieri hæc obscuratio Solis, & Lunæ, propter nimiam claritatem corporis Christi. Deinde illa obscuratio Solis nullum terrorem incuteret, præter illam, quem ipsa Christi maiestas potest efficere. Aliter exponit Orig. dicto tract. 30. in Matth. Sicut in magnis ignibus succendi incipientibus tenebræ ex fumo plurimo solent extolli: sic in conflagratione mundi ab igne, qui accendendus est, obscuranda esse luminaria magna. Sed neq; ipse Orig. in hac expositione persistit: neq; probari potest. Tūquā conflagratio mundi futura est post diem iudicij: hæc vero signa antecedentia sunt. Tum etiam, quia illa causa videtur insufficiens, vt hæc signa tali modo fiant, vt specialem terrorem incutiant.

Tertia explicatio est, quod Sol priuabitur sua luce intrinseca, & connaturali, & consequenter Luna, & omnia astra. Cui expositioni videtur fauere proprietas illorum verborum, *Sol obscurabitur: & Ios. 2. & 3. Sol, & Luna obtenebrati sunt: & cap. 2. Sol conuerteretur in tenebras: & Apocal. 6. Sol factus est niger, tanquam facies cilicinus.* Et hanc expositionem indicat etiam Origenes: non tamen recte declarat. Dicit enim quod

A paulatim minuetur lumē cælestium astrorum, quia deficiet eius nutrimentum, sentiens, Solem esse corruptibilem, & conseruari ad modum ignis continua actione, quod improbabile est, vt ex philosophia constat. Itaque hic modus naturaliter est possibilis. tamen diuina virtute fieri potest. Et ita futurum esse sentit Rabanus Matth. 24. & non displicet D. Tho. in 4. d. 48. q. 1. art. 4. q. 2. Satis tamen incertares est. Videtur enim verifimilius, non oportere ita fieri. Quia hæc signa tantum fient ad errorem hominum: ad hoc autem non est necessarium, vt in ipsis cælis fiat intrinseca immutatio, & naturalium proprietatum diminutio, vt videbimus. Quarto igitur dicunt alij, hanc obscuritatem Solis, & Lunæ futuram esse per propriam Eclypsim, id est, per interpositionem ipsorum astrorum inter se, ita tamen, vt non simul fiat.

B Hoc enim est impossibile, nisi simul constituantur in multis locis, quod non oportet fingere. Dicunt igitur, non simul obscuranda esse Solem, & Lunam: sed nunc Solem, postea Lunam, & è conuerso. Quia non tantum semel hoc fiet, sæpius per varias apparitiones, & Eclipses, quæ proueniunt inuicem motibus cælorum, qui nunc tardius, nunc velocius solito mouebuntur. Hic modus colligi potest ex Lactian. lib. 7. c. 16. vbi inter alia inquit, de Sole, & Luna, *Motus extraordinarios peragent, vt non sit homini promptum, aut siderum cursus, aut rationem temporis agnoscere. Fiet enim vel aestas in hyeme, vel hyems in aestate, tunc annus breuiabitur, & mensis minuetur, & dies in augustum coarctabitur.* Quod si hæc vera sunt, facile intelligitur ex hac motuum varietate posse facile consequi varias, ac inuicem Eclipses. Et sunt hæc quidem verifimilia, & satis apta ad terrendos homines: non tamen videtur negandum obscuratum iri aliquando simul Solem, ac Lunam, ita vt densissimæ toti orbi terrarum offundantur tenebræ. Hæc enim videtur esse intentio Christi in illis verbis, & maxime videtur pertinere ad augendum angustiam & terrorem hominum, qui est finis per hæc signa interitus. Vnde sine dubio videtur futura maior obscuritas Solis, quam per solam naturalem Eclypsim effici possit. Quod etiam suadet illa ratio supra adducta ex Augu. quod hæc signa non sunt existimanda vulgaria, & communia, qualia interdum facta leguntur: sed maiora, & horribilia. Addendum ergo est, Solem, & Lunam esse obscuranda, non quia omnino priuabuntur suo lumine, sed illuminatione. Quod fieri poterit, vel Deo suspendente concursum, qui modus erit facillimus, vel per interpositionem alicuius densissimæ nubis, quem modum vt faciliorem elegit Sop. 4. dist. 46. q. 2. art. 2. Sed (quod ad Solem attinet) prior modus videtur facilior. Tum vt tenebræ possint esse vnuerſales, & densissimæ: tum vt possint fieri minori actione, & rerum immutatione. De Luna vero, quoniam de illa dicitur Ios. 2. quod conuerteretur in sanguinem: & Apoc. 6. explicatur quod, *Luna tota facta esset sicut sanguis*, verifimile est, hoc signum esse efficiendum per interpositionem nubis ita dispositæ, vt per impressionem Lunæ videatur tota sanguinea, ad significandam diuini iudicij seueritatem, & propter alias significationes, quas recte explicat Antoninus

C 4. p. tit. 14. c. 11. §. 2. Quarto loco explicandum est secundum signum, nimirum, quod stellæ cadent de cælo. Quæ verba ad literam, & vt sonant, intelligit Orig. dicto Tract. 30. Nam stellæ (inquit) priuata lumine non poterant sursum detineri, nam à lumine ipso extollebantur, unde crassiores fiunt, ac tandem de cælo cadunt. Eandem sententiam quanuis non eodem modo explicatam, videtur docere Tertul. lib. conera Hermogenem cap. 43. quamquam ille videtur supponere, cælos esse in nihilum redigendos, de quo postea dicemus. Origenes vero supponit falsam de natura cælestium stellarum estimationem. Quocirca supposito, stellæ esse incorruptibiles, & aut esse continuas reliquis partibus cæli,



